

REGULA GENERALIS
UNIONIS
APOSTOLICAE

saecularium sacerdotum.




1915.

Verlag der Unio Apostolica
Breslau.

Asc
II
178

REGULA GENERALIS
UNIONIS
APOSTOLICAE

saecularium sacerdotum.



1915.

Asc II 178

Verlag der Unio Apostolica
Breslau.

73445

282

Imprimatur,

† BEDA BEEKMEYER, O. S. B.

Episcopus Kandiensis

Kandy 29th Dec. 1912.

Imprimi potest,

H. WAELKENS S. J.

Sup. reg. miss.

Imprimatur,

Vratislaviæ die 28. Juni 1915.

Princeps-Episcopus.

† Adolphus.

ZBIORY ŚLĄSKIE

Akc V Nr 459 | 74 | 5

PRÆFATIO.

Reverende Lector,

Hic libellus quid contineat paucis accipe. Ex nostro quidem fonte nihil; non est enim nisi quarta editio, Parisiis anno 1912 edita, „Regulæ generalis **Unionis Apostolicæ** sæcularium sacerdotum, a gallico ad latinum sermonem expressa. In quo opere hoc præcipue studium fuit, ut fideliter potius ac clare quam eleganter et adornate scriberetur.

Faxit Deus, ut hæc aurea regula, communi nunc universalis ecclesiæ voce utens et quasi familiari veste ornata apud clerum totius orbis amicorum more accipiatur.

Datum Kandiaë, in Seminario Pontificio,
die 23. Decembris 1912.

REGULA GENERALIS UNIONIS APOSTOLICAE

Sacerdotum Sæcularium.

Hæc regula quatuor partes continet: 1^o brevem notitiam de Unione Apostolica; 2^o regulam proprie dictam; 3^o indulgentias et privilegia; 4^o Leonis XIII et Pii X Brevia.



PARS PRIMA.

NOTIONES DE „UNIONE APOSTOLICA“.

- I. Definitio Unionis; — II. Ejus origo; — III. Ejus scopus; — IV. Approbationes ipsi datæ; — V. Divisio regulæ.

CAPUT PRIMUM.

DEFINITIO UNIONIS APOSTOLICÆ.

1. **Unio Apostolica** constat ex fœderatis inter se sacerdotum consociationibus quarum membra, sub patrocinio Sacratissimi Cordis Jesu supremi sacerdotis conjuncti, regulam servant cujus ope tum propria sanctificatio tum ministerii sui fœcunditas per recte ordinatam vitam efficaciter promoveantur.

Vocantur etiam **Unio Apostolica**, singulæ diœcesanæ associationes quæ ad hanc fœderationem pertinent.

2. **Unio Apostolica** est validum auxilium sæcularibus sacerdotibus oblatum quo ad altum perfectionis gradum suo sancto statui convenientem perveniant. Simul etiam opportunitatem

confert se mutuo, ut fratres, amandi in Domino, mutuamque opem ferendi, tum in vita spirituali, tum in sacri ministerii exercitio, tum etiam, si opus fuerit, in re temporalis.

CAPUT II.

UNIONIS APOSTOLICÆ ORIGO.

3. **Unio Apostolica**, in re et essentia, ipsi christianismo coætanea est. Sicut enim Dominus Noster duodecim Apostolos ac septuaginta duos discipulos in societatem vitæ assumpserat, ita primi Episcopi cum suarum ecclesiarum presbyteris communem vitam agebant atque tum sanctis orationibus una cum ipsis vacantes, tum verbis eos salutariter instruentes, tum etiam eos in studiis dirigentes ministeriique laboribus incitantes, eorum fervorem sustinebant.

4. Postquam vero diœceses magis extensæ fuerunt, sacerdotes, qui procul ab episcopali familia vivebant, inter se uniri talesque communitates inter se efformare desiderarunt quales pristinis temporibus viguerant. Quæ quidem societates in ecclesia multiplicatæ ingentem fructum produxerunt. A tempore sancti Augustini, plurimi sancti Episcopi hoc vitæ communis medio usi sunt ut sacerdotalem spiritum in sua integritate apud clerum suum servarent. Certe optimo cuique sacerdoti, animarum zelo fla-

granti, hoc in votis semper fuit ut mediis in periculis eos undique circumdantibus suæ pietati opem adjumentumque haberent.

5. Denique, sæculo XVII, Bartholomæus Holzhauser a Deo suscitatus est qui hujus unionis conceptum ad usum vitæ propius reduceret, eam scilicet inducendo sacerdotalis associationis formam cujus accessus in omni tempore et loco omnibusque sacerdotibus, quocumque tandem ministerio detentis, facile pateret.¹⁾

6. **Unio Apostolica** nihil aliud est quam continuatio sacerdotalium hujusmodi operum quæ sæcularis nostrorum temporum cleri necessitudini respondeant.²⁾

CAPUT III.

UNIONIS APOSTOLICÆ SCOPUS.

7. **Unionis Apostolicæ** scopus sequentibus verbis, ex auctore vitæ Holzhauser desumptis, clare describitur: „ad summam hoc vult Holzhauser ut sacerdotes arctius sanctiusque inter se conjungantur; ut sæcularibus sacerdotibus, dum in suo proprio statu manent vitamque et suum ministerium in mundo agunt, ea præsidia

¹⁾ Leben des ehrwürdigen Dieners Gottes, Bartholomäus Holzhauser von Gaduel, deutsch, Verlag von Kirchheim in Mainz; Bartholomäus Holzhauser von May, Verlag von Pennrich Nachfolger, Bingen a. Rh.

²⁾ Das gemeinsame Leben und die Priestervereine von Msgr. Lebeurier.

perfectionisque media magna ex parte offerantur quæ regularibus vita communis suppeditat; ut ecclesiastici veri qui sæcularem statum servare, ecclesiæque et salvandis animis in parochiali ministerio inservire volunt, non eo reducantur ut ab omni consortio seclusi vitamque soli agentes, magna exinde patiantur incommoda, roboris scilicet adjumentique inopiam, periculum ne fervor depereat, magnaue interdum amittendæ virtutis discriminia; ut pii illi veri qui suavi gratiæ influxu ducti vitæ communis desiderio moventur, hanc ipsam vitam domi, in suæ diœcesi, in ipsis etiam sacri ministerii laboribus, ut eorum fert vocatio, inveniant; denique ut iidem, dum in presbyteriis parochiisque suis versantur, præcipuis communitatum commodis gaudeant, quæ sunt: sancta regula, superiores qui spirituales ipsis patres sint, fratres quibuscum mente et corde arctius uniti vivant, denique familia quædam quæ corda consolari simul et virtutem roborare (quæ sunt eximia vitæ communis emolumenta) nata sit“. „Non in eo est“ inquit venerabilis vir Bartholomæus Holzhauser, vitæ communis essentia ut plures necessario in eadem domo congregentur. In hoc enim nihil plus posset inveniri quam confusa individuorum hominum multitudo quin vera efficiatur communitas. Quod vero communi vitæ essenziale præcipuumque est, quodque illam constituit consti-

tutamque sustinet, hoc est: unam communem haberi servarique regulam, eodem moveri spiritu, ad eundem tendere scopum eademque velle; paucis, quandam efformare familiam in qua fratres patremque amore plenos se quisque habere sentiat, auxiliumque opportunum secure expectet. Tunc enim, etiamsi quis per plures annos solus vivere cogatur, non ideo vivit vere solus, solus, inquam, sine consortio sine adiutorio relictus; nam corporis alicujus membrum est et unus e communitate.

Nonne S. Franciscus Xaverius, etiam quando sine socio vel oceanum navigabat vel Indiæ regiones peragrabat, unus tamen e communitate vere erat? Potest igitur inter sacerdotes sacro ministerio dicatos communis haberi vita etsi multi ex illis per parochias dispersi, soli vel quasi soli vitam ducere cogantur.

CAPUT IV.

APPROBATIONES UNIONI APOSTOLICÆ DATÆ.

8. **Unio Apostolica** pretiosa recepit hortamenta quæ tum in tribus Brevibus Sanctitatis suæ Pii IX consignantur, tum etiam in pluribus episcopalibus documentis ad illos sacerdotes missis qui restaurandæ apud clerum sæcularem vitæ communi operam nostris diebus maxime navarunt.

9. Præclaram vero canonicam institutionem (hoc enim verbo usus est Cardinalis quidam, unius e præcipuis congregationibus præfectus), unioni contulerunt epistola a sanctitate sua Leone XIII ad superiorem generalem missa die 31. maii 1880, et præsertim Breve sanctitatis suæ Pii X, die 28. Decembris 1903 datum.

10. Episcopalia documenta unioni faventia hæc sunt: primo, *Postulatum* a multis concilii vaticani Patribus subsignatum, sub titulo „de vita communi in clero sæculari fovenda“. Secundo, formales approbationes quas concesserunt E. E. Cardinales Simor, archiepiscopus Grannensis, Hungariæ Primas Deschamps, archiepiscopus Mechliniensis, Agostini, Venetiarum Patriarcha, Pius episcopus Pictaviensis, Beatitudo Sua Gregorius Jusseff, græco melchita patriarcha Antiochiæ, Alexandriæ et Hierosolymarum, deinde Illust. archiepiscopi et episcopi Ancyrae (Ill. D. Cattani, antea Bruxellis nuntius), locorumque sequentium: Reims, Rennes, Oregon (in statibus fæderatis Americæ) Orléans (Ill. Dupanloup), Verdun, Saint-Flour, Langres, Périgueux, Rodez, Saint-Brieuc, Carcassone, Troyes, Versailles, Viviers, Meaux, Saint-Claude, La Rochelle, Lausanne, Trévise, Vivence, Aoste, Savone, Mariana (in Brasilia) Saint-Jean-d'Acre, Anthedon (Ill. D. Gay), et Illust. Domini Puginier et Petitjean, vicarii

apostolici.¹⁾ Tertio, multæ litteræ ab episcopis missæ.

CAPUT V.

REGULÆ UNIONIS APOSTOLICÆ DIVISIONES.

11. Unionis Apostolicæ anima in ejus regula consistit. Hæc regula in tria capita dividitur.

Primum caput de sacerdotali devotione erga Sacrum Cor Jesu tractat; est enim illa devotio membrorum unionis propria.

Secundum caput ordinem vitæ sæculari sacerdoti acommodatum summatim exhibet. Tertium caput associationis gubernandi modum exponit naturamque vinculi quo omnes inter se devinciuntur.

12. **Unionis** regula satis latitudinis habet ut possint diversæ associationes ipsi speciales constitutiones addere quæ tum membrorum suorum consiliis tum functionibus sibi propriis respondeant.²⁾

¹⁾ Hac approbationes ad prima *Unionis apostolicæ* tempora, i. e. ab anno 1860 ad annum 1870 referuntur.

²⁾ Dici posset *Unionis* regulam sæcularium sacerdotum associationibus ita se habere sicut Sti Augustini regula iis religiosis congregationibus quæ illam assumpserunt. Harum enim congregationum regulæ duabus præcipuis partibus generatim constare notum est, una quidem Augustini regulam, altera vero uniuscujusque proprias constitutiones continentibus.

13. Dum igitur **Unionis** regulam assumunt diœcesanæ associationes, liberum ipsis manet vel suum quod jam habent nomen vel aliud melius sibi visum accipere. Membra autem harum associationum sive quæ proprium tale nomen sibi elegerunt, sive quæ particulare nomen non cupiunt possidere, ambo possunt indiscriminatim vocari membra **Unionis Apostolicæ**.

PARS SECUNDA.

REGULA.

- I. Spiritus **Unionis Apostolicæ**; — II. Regula vitæ; — III. De modo gubernandi in **Unione**.

CAPUT PRIMUM.

SPIRITUS UNIONIS APOSTOLICÆ.

- I. Præcipua devotio membrorum; — II. De cognitione J. Christi; — III. De amore J. Christi; — IV. De imitatione J. Christi.

ARTICULUS PRIMUS.

*De eligenda præcipua devotione
membris Unionis Apostolicæ.*

14. Electa est ut specialis **Unionis Apostolicæ** devotio, sacerdotalis devotio erga SS. Cor Jesu, quia associationes quotquot regulam Unionis adoptarunt, divino ut videtur instinctu impulsæ sunt ad sese consecrandas et devovendas SS. Cordi Jesu.

15. Ceterum devotionem erga SS. Cor speciale auxilium suppeditare ad occurrendum peculiaribus horum temporum necessitatibus nemo est qui non intelligat. Vi suæ in Ecclesia condi-

tionis sacerdotis imprimis est hanc devotionem Jesu Christo tam gratam, diffundere; proindeque ad ipsum speciali ratione directæ sunt magnificæ illæ promissiones in favorem eorum prolatae qui prædictam missionem susciperent.

„Dominus Noster, ait B. Marg. Maria, mihi revelavit thesauros amoris et gratiarum illis destinatos qui sese devoturi essent ad hoc ut Ejus Cordi tantum reddant ac procurent honoris, amoris et gloriæ, quantum valuerint — thesauros, inquam tantos quantos mihi describere impossibile est.“ (*Vita et Scripta*, 1. vol., p. 290.)

„Docuit me Divinus Salvator fore ut illi qui saluti animarum incumbunt, arte polleant tangendi corda quam durissima, atque miros ex suo labore colligant fructus, dummodo ipsi tenerima erga Divinum Ejus Cor devotione penitus imbuantur.“ (*Ibid.*)

„In hoc Sacro Corde per totam vitam ac præsertim in hora mortis præsidium invenient. O! quam dulce est mori illi, qui erga Cor sui supremi judicis constanter devotus exstitit!“ (*Ibid.*, p. 286.)

16. In Corde illo adorabili contemplantur sacerdos perfectissimum exemplar omnium virtutum sacerdotalium; et tanquam in ardenti foco continuo alet ignem sui zeli in animarum salutem.

Associati omnes ex hoc inexhaustibili semperque patente fonte haurient sibi gratias sanctificationis et divinas benedictiones quæ labores eorum ministerii fructuosos reddant et per Immaculatam Mariam ad Ss. Cor Jesu accedent, quia haec mater divinæ gratiæ est dispensatrix omnium beneficiorum divinæ bonitatis (Resolutio in generali conventu Unionis Apostolicæ die 17. Novembris 1912 Romæ habito).

Beneficio devotionis hujus, Jesu Christo, sacerdoti per excellentiam intimo nexu unientur et perfectius Ipsius imagini conformes evadent.

Porro quotquot sunt associationis membra caritatis et zeli arcto vinculo cohæreunt ad propriam eorum sanctificationem et animarum salutem.

17. Devotio sacerdotalis erga S. C. Jesu membra **Unionis** ad hoc impellet ut omnia ad Christum supremum sacerdotem referant Ipsique cognoscendo amando et imitando incumbant.

Idcirco hoc regulæ caput agit de cognitione, amore et imitatione J. C. D. N.

ART. 2.

De Cognitione Jesu Christi.

Acquiritur studio: 1^o Scripturæ Sanctæ; 2^o Sanctorum Patrum et Scriptorum asceticorum; 3^o Theologiæ; 4^o Liturgiæ; 5^o Historiæ; 6^o Scientiarum humanarum.

I.

Cognitio Jesu hausta ex Sacra Scriptura.

18. Membra **Unionis** Cor Jesu habebunt ut fontem luminis a quo ad ipsos derivabunt lumen intellectus et ardor voluntatis. Ut S. Paulus gloriabuntur se nihil scire præter hunc divinum Salvatorem, persuasi, illo cognito, omnia sibi fore nota.

19. Jesum Christum inspicient in *S. Scriptura* quæ tota Ipso plena est et nonnisi per Ipsum intelligi potest.

20. Veteris Testamenti libri historici ipsis exhibebunt typos divini Salvatoris ejusque Ecclesiæ; psalmi et libri Sapientiales præbebunt vividam expressionem sensuum divini Cordis; libri prophetici anticipatum offerent conspectum Christi vitæ, laboris et triumphi.

21. Novi Testamenti Evangelium ipsis ostendet imaginem divini Magistri ab ipso Spiritu Sancto exaratam, omniaque Salvatoris verba ipsis familiaria reddet.

22. A Sancto Paulo edocti, studebunt penitus intelligere doctrinam quæ omnibus magni Apostoli scriptis est fundamentalis, doctrinam nempe de *incorporatione* hominum homini Deo.

II.

*Cognitio Jesu hausta ex SS. Patribus et
asceticis auctoribus.*

23. Cognitionem Jesu haurient ex scriptoribus qui Sacras Litteras optime scrutati sunt, in hoc

præcipue animum intendentes ut Jesus Christus intimius cognoscatur. Tales sunt inter SS. Patres, S. Augustinus, S. Cyrillus Alex., S. Bernardus; et inter doctores et asceticos viros St. Thomas Aquin., B. Albertus magnus, S. Franciscus Salesius, St. Alfonsus Ligu., Ven. Holzhauser, Thom. a Kemp.

III.

Cognitio Jesu hausta ex Theologia.

24. Jesum Christum novisse satagent in *Theologia dogmatica* quam totam implet tum duplici sua natura tum nexu quem inter creaturam et Creatorem sua Incarnatione constituit, — in *Theologia morali et ascetico* quæ eo tendit ut omnes homines homini Deo conformentur.

IV.

Cognitio Jesu Christi hausta ex Liturgia.

25. Ipsos juvabit consideratio Christi in sacra liturgia. In divinorum officiorum annua revolutione Ecclesia Christum constanter coram oculis habet nobisque considerata et meditanda proponit omnia ac singula Ejus mysteria simulque doctrinam Ejus exponit; horæ officii respondent horis passionis; unaquæque breviarii pars speciali relatione Christo devincitur; invitatoria ad Ipsum revocant, psalmi Ipsius historiam memorent, hymni Ipsius laudes concinnunt et sic porro.

V.

Cognitio Jesu Christi hausta ex historia.

26. Immo Christum obvium habebunt in *historia* cujus varias vices Providentia dirigit ad divinum illum Salvatorem glorificandum Ipsiusque regnum promovendum. Idem melius obtinebitur ex historia Ecclesiastica quæ non est nisi continuatio vitæ mortalis Christi; quippe quæ varias hujus vitæ phases tam dolorosas quam gloriosas reproducat.

VI.

Cognitio Jesu Christi hausta ex humanis scientiis.

27. Salvatorem illum non solummodo in Seipso contemplabunt, verum etiam per fidem Ipsum inspicient in *creatione* universa cujus Rex existit et cui devoluta est missio, Christi lumen, amorem ac potestatem, symbolice exprimendi. Ad Ipsum adspicient ut ad centrum omnium rerum; ad quem scopum præsidio ipsis erit scientiarum humanarum studium, quum eorum mens ad supremam illam unitatem sponte redactura sit, omnium quæ videntur et cognoscuntur varietatem.

ART. 3.

De Amore Jesu Christi.

I. Amor complacentiæ; — II. Amor gratitudinis; — III. Amor unionis; — Amor erga Ecclesiam sponsam Christi.

I.

Amor complacentiæ.

28. Membris **Unionis** parum prodesset cognitio Jesu, nisi flagrante amore in Ipsum ferantur. Infinitæ ejus perfectionis contemplatio eos constanter reddet attentos augebitque in ipsis amorem genuinum objecti tam pulchri, tam perfecti, tam amabilis cujus visus Deum, B. M. Virginem, Angelos et Sanctos delectat.

II.

Amor gratitudinis.

29. Memores laborum quos Cor Jesu, inefabili ductus amore, ad gloriam Dei et bonum suarum creaturam exantlavit, perpetuis gratitudinis sensibus afficientur. Ut in se foveant hunc amorem gratitudinis atque abundantiam gratiarum obtineant quibus in munere sacerdotali obeundo indigent, speciali cultu prosequuntur mysteria Incarnationis, infantiae, vitæ absconditæ in Nazareth ductæ, et vitæ apostolicæ

Christi; ardentissima præsertim colent devotione mysteria passionis, mortis et sepulturæ divini Salvatoris, mente et corde habitualiter fixis in ceterorum mysteriorum Memoriale, divinam videlicet Eucharistiam.

III.

Amor unionis.

30. Postquam admirati fuerint incomprehensibiles humiliationes ad quas amor Christi Ipsum perduxit ut medios inter homines viveret et commoraretur, intelligent quantum ipsis necessarium sit huic divino Salvatori stabili unione cohærere eo fine ut Ipsius amorem amore compensent.

31. Quæ unio elucebit in studio mentem et animum spiritui et Cordi Jesu conformandi. Quo enim pacto vera inter ipsos et Jesum existeret amicitia, ipsis amantibus quæ Ille non amat, vel cupientibus quæ Ille non cupit? Ideo spiritum Jesu in proprio suo corde præsentis sæpe consulent quo Ipsius cogitationes affectionesque erga personas et res cognoscant; abjicientes omne judicium omnemque affectum illis non perfecte conformia.

32. Interiores eorum dispositiones in colloquiis se prodent. Eorum *verba* erunt, justa præceptum Apostoli *verba Dei* (1 Pet. 4, 2). Quod quidem ut obtineatur, quantum fieri poterit

conabuntur acquirere habitum nunquam aliquod colloquium vel sermonem incipiendi quin prius a Christo Domino efflagitaverint ut in ore eorum ponat illum modum loquendi qui aptissimus sit ad divini ejus amoris consilia in tota sua extensione adimplenda. Curabunt ut in cursu suarum actionum frequentibus *aspirationibus* renovent intentionem nihil agendi nisi in Ipso et in Ipsum.

33. Ad acquirendam perfectius illam tam desiderandam conjunctionem cum Corde Jesu, non omittent recurrere ad omnipotentem *Cordis Mariae* mediationem.¹⁾ A divina hac Matre enixe postulabunt ut doceat ipsos amare ejus Filium, hujus sensibus suos conforme sensus, quo possint alteri Christi evadere. Ideo speciali cultu honorabunt S. Joseph, S. Annam, S. J. Baptistam, SS. Apostolos et quotquot arctius Verbo Incarnato conjunguntur.

IV.

Amor in Ecclesiam Christi sponsam.

34. Ex amore erga Christum divinum sponsum Ecclesiae haurient devotum sine modo animum erga sponsam Ipsius prædilectam. Omnibus Ecclesiae doloribus ejusque Capitis tribulationibus compatiuntur; illius defensioni fortiter se

¹⁾ vide p. 11 Nr. 16.

accingent, omni conatu defensores illi quærentes; ut triumphet ferventissime orabunt beatosque sese existimabunt, si ad illius bonum laborare seseque devovere liceat. Omnium illorum Sanctorum intercessionem invocabunt qui perfectissime Ecclesiæ servierunt, ut S. Petri, S. Pauli, SS. Apostolorum, Pontificum et Sacerdotum. Favebunt, quantum valuerint, illis operibus quæ tamquam scopum sibi proposuerint Ecclesiæ necessitatibus succurrere, sive procurendis ipsi temporalibus subsidiis sive ipsius filiorum sanctificationi adlaborando. Nunquam satis se fecisse putabunt in favorem Ecclesiæ, quia apprime sciunt illam se nunquam dilecturos quantum illam Christus dilexerit.

ART. 4.

De Imitatione Jesu.

- I. Imitatio Jesu; — II. Imitatio in obedientia; — III. In contemptu creaturarum; — IV. In amore paupertatis; — V. In mortificatione; — VI. In caritate; — VII. In modestia exteriore.

I.

De Imitatione Christi.

35. Sacerdotes, **Unionis Apostolicæ** membrum suum erga Christum Dominum amorem maxime

ostendent in conando Ipsum imitari. In Ipso sacerdotibus quærenda erit regula et exemplar perfectionis ad quam vocantur. Intelligent Deum ipsos creando specialiori ratione quam communes Christianos, ipsos *praedestinasse ut conformes fierent imagini filii sui* (Rom. 8, 29), quo Illi assimilentur qui est perfecta Dei imago. Oculos incessanter affixos habebunt divino Illi exemplari, satagentes quæcumque ab Illo elongant abjicere et quæcumque ad illud conducunt amplecti; brevi, conabuntur juxta aliud S. Pauli dictum, *in se sentire quod et in Christo Jesu.* (Phil. 2, 5.)

II.

Imitatio in obedientia.

36. Impulsi amore Illius qui pro ipsis factus est obediens usque ad mortem, obedientiam summo opere diligent. Quam, non solummodo externo opere, verum etiam interna cordis dispositione judicii que submissione, cum gaudio exercent, semper quærentes superiorum ecclesiasticorum jussa in corde suo justificare. Deum videbunt in omnibus qui ipsis Dei nomine præsunt: vicarii in parochis et utrique in suo Episcopo. Omnes quoad ea quæ Associationem spectant, tota affectu se subjicient superiori qui electus fuerit juxta regulas unicuique diocesanæ associationi proprias. Præsertim deprehen-

detur in ipsis docilitas maxime filialis, et profundissima veneratio erga J. C. Vicarium, cujus omni qua potuerint copia, jura et commoda defendent.

III.

Imitatio in creaturarum contemptu.


37. Generosum omnium creaturarum contemptum exercere curabunt. Quod ipsis arduum esse non poterit considerantibus tum incomparabilem qua vestiuntur dignitatem, tum thesaurorum, qui ipsis mandati sunt, pretium. Ideo memores erunt se non in bonum carnalis suæ familiæ factos esse sacerdotes, essentialemque zeli apostolici conditionem esse ut a parentibus disjungantur. Maxima cura huic invigilabunt ut integra maneat in ipsis perfecta cordis libertas, caventes ne vel pecuniæ, vel muneri, vel æstimationi et affectui creaturarum inhæreat eorum animus. Quodsi malas istas propensiones aliqua ratione in animam suam dominari deprehenderit, eas maxima vi impugnabunt, non tantum ferventibus precibus sed etiam indubitante abstinentia ab omnibus quæ prædictas inclinationes augere possint, atque exercitio actuum virtutum oppositarum.

IV.

Imitatio in paupertate.

38. In cubiculo, suppellectili et vestibus vitabunt quidquid adversaretur Evangelicæ paupertati et spiritum mundi redoleret. Omnis concessio luxui facta, ipsis appareat ut deperditio alicujus gradus unionis cum Christo, et ut aliqua rapina erga pauperes et bona opera commissa. Sane ipsis licebit auxilia diœcesanæ arcæ pro futuro sibi secunda reddere; at, salva hac laudanda cautione, nulla in re temptatione thesaurizandi vinci se sinent. Verus eorum thesaurus est Cor Jesus cujus favores, crescente semper in pauperes devotione sibi acquirere ultro studebunt.

39. In omni eorum agendi ratione appareat ille paupertatis spiritus quo divinus Salvator diligentes se adornat. Ad mensam frugum erunt et in frequentioribus etiam suis conventibus diligenter curabunt limites simplicitatis et strictissimæ temperantiæ non prætergredi; ceterum non nisi raro et gravibus de causis sæcularium hominum mensis accumbere consentient. Extra refectionum tempora quidquam sumere vitabunt, quippe qui in istis actionibus haud secus atque in aliis omnibus Jesum Christum sibi imitandum ejusque Cordis desideria tamquam sibi propositam regulam perpetuo inspicient.



40. Membris **Unionis** quo perfectius imitentur illam Domini Nostri et Apostolorum abnegationem, commendatur, nulla tamen imposita obligatione, ut: 1^o Si libuerit, cum ejusdem diœcesis confratribus suorum officiorum et ministeriorum proventus omnes in communi repont — 2^o si hæc bonorum communitas impossibilis habeatur, ut saltem ex proventibus partem aliquam præsumant quæ ad commune aliquod zeli opus expendetur, v. g. ad aliquam missionem in una ex eorum parochiis prædicandam. — 3^o Denique, ut simul cum duplici prædicta praxi vel utraque deficiente, quotannis singuli diœcesano superiori accuratam rationem omnium suorum acceptorum et expensorum afferant; quo fiet ut et aliquam in bonis disponendis dependentiæ speciem retineant et evangelicæ paupertatis spiritum ac meritum acquirant.

V.

Imitatio in sacrificio.

41. Revelando devotionem erga Cor suum, divinus Salvator, desiderium omnibus apprime notum expressit, ut nempe fideles Ejus discipuli tamquam finem inter præcipuos sibi proponant **reparationem** injuriarum quibus Ipse ab ingratissimis hominibus afficitur; ab illis præsertim a

quibus maxime diligendus esset. Cui desiderio ut faciant satis, Cordis Jesu sacerdotes, ultro diffundent opus *communione reparatoris* hujusque naturale complementum, *Missarum* videlicet *reparatorium* opus propagabunt. At vero sacrificium altaris in spiritu reparationis obtulisse non contenti, propria quoque sua *sacrificia* adungere amabunt.

42. Imprimis ad illam intentionem offerre non negligent sacrificia quæ Deus ipse eis imponet. In *aegritudine* memores erunt ipsos non secus ac in sanitate apostolos esse decere. Ideoque omnibus qui ipsos invisent ædificationi erunt patientia, mansuetudine, amoris plena in Dei manibus resignatione, obedientia erga medicos; quod si tunc exercitia pietatis protrahere non valuerint, cordis sui frequentioribus ad Cor Jesu elevationibus supplebunt.

43. Amoris ac gratitudinis sensu tamquam dona Cordis Jesu accipient probationes et tribulationes hujus vitæ quæ eorum corda ab amore terrenorum et a proprio amore solvere natæ sunt. Quibus in probationibus, assuescent inspicere non creaturam quæ est illarum causa immediata interdumque plus minusve injusta, sed Deum infinite bonum Cui ipsamet malitia hominum inservit ut instrumentum ad exsequenda Misericordiæ consilia. Si contemptos, humiliatos, injuste tractatos se viderint, his

pœnis compensationem quærent invenientque in beata acquisitione novi alicujus cum Deo similitudine.

VI.

Imitatio in caritate.

44. Præprimis studebunt exercere in tota sua perfectione virtutem Cordi Jesu prædilectam, Caritatem. In omnibus suis cum Deo relationibus agent ex amore potiusquam ex timore aut studio commodi, quamvis his motivis juvari etiam debeant. Spiritus ille adoptionis qui est genuinus Novæ Legis spiritus, in tota eorum agendi ratione apparebit eorumque pietati aliquid amplitudinis et amabilitatis addet quo potenti virtute homines ad Deum alliceant.

45. Ex quo filiali Dei amore nascetur amor undequaque fraternus in proximum. Cor Jesu non desinet sacerdotes suos urgere ut Ipsius exemplo ducti, totos sese impendant in salutem fratrum suorum, ut communi dilectione omnes complectantur, et ut speciali affectu illos tantum prosequantur qui miserabiliores sunt et magis destituti. Quæ caritas signum erit quo dignoscendi erunt simulque invicta arma suppeditabit quibus obstacula quæque superare et obstinatissimas quasque animas lucrari possint.

46. Nullam occasionem prætermittent **Unio-**
nis membra alii aliis caritatis illius signa præ-
tandi quod est vinculum piæ suæ associationis.
Omnes simul efformabunt aliquam familiam
intime conjunctam in qua omnia membra idem
sapiant (Phil., 3, 16), idipsum dicant omnes
(1 Cor. 1, 10) omniumque sit cor unum et
anima una (Act. 4, 32).

47. Ad alios omnes Christi ministros exten-
detur illa caritas. Quo enim Satan majore conatu
frangere eorum unionem quærit, eo veri servi
Domini arctius eam retinere ac confirmare sata-
gent. Quare sedulo cavebunt quidquid unionem
animorum turbare posset ut injustas suspiciones,
sentiendi diversitatem, invidiam zeli specie oc-
cultatam, timorem amittendæ auctoritatis, dela-
tiones minus faventes et sæpius calumniosas. . .
Hæc omnia superabit amor Cordis Jesu. . . Pa-
rochi, vicarii, professores, missionarii, religiosi,
omnes intelligent sese unum idemque prosequi,
gloriam videlicet Sacratissimi Cordis. Quapropter
quodcumque aliis bene successerit ipsis quoque
gaudio erit haud secus ac si ipsi illud perfe-
cissent, et confratribus suis omni data occasione
æstimationem ostendent eorumque auctoritatem
fulcient, persuasi hanc agendi rationem simul
Cordis Jesu præcipuo desiderio respondere
atque suæ ipsorum auctoritati solide fundandæ
summopere profuturam esse.

VII.

Imitatio in modestia externa.

48. Non internis sensibus tantum, verum etiam loquendi, incedendi componendi se et externe se gerendi ratione, membra **Unionis** studebunt conformes fieri divino suo exemplari. Ideo nec oculos huc illuc leviter circumferent, nec inquietos se et sollicitos ostentabunt, nec immoderatis gaudii signis se tradent. Cavebunt etiam ne brachia projiciant, præcipites sine causa incedant, altiore voce vel arrogante tono loquantur. Appareant e contra in vultu, in corpore, in sermone, mansuetudo, humilitas, dulcedo, suiipsius dominium sub Deo, Deique in aliis præsentis reverentia.

CAPUT II.

REGULÆ VITÆ SACERDOTUM UNIONIS APOSTOLICÆ.

- I. Regula et principia vitam privatam spectantia.
— II Regulæ et principia spectantia diversa ministeria in quibus membra **Unionis** contingit occupari.

ARTICULUS PRIMUS.

Regulae et principia spectantia vitam privatam.

- I. Principium generale. — II. De iis quæ præstanda sunt singulis diebus. — III. Singulis

hebdomadis. — IV. Singulis mensibus. — V. Singulis annis. — VI. De quibusdam rebus in specie.

I.

Principium generale.

49. Membris **Unionis** dies suas totamque suam vitam ita disponent ut quantum fieri possit vitæ Verbi Dei in terra conformia evadant. Quare eorum vita ad Christi Salvatoris imitationem oportet sit *laboriosa, sancta, poenitens*. Ad quem scopum attingendum sequentia sunt observanda.

II.

Singulis diebus.

50. Membra **Unionis** *surgent* mane hora statuta ordinarie post *septem* horas somni, nisi, valetudinis debilitas plus exigat. Prima eorum actio hæc sit ut totam diem Cordi Jesu offerant, ejusdem intentiones ut suas sibi assumentes et proprium dominans vitium fortiter impugnaturi. Inter vestiendum, piis cogitationibus secundum materiam instantis orationis mente occupentur.

51. Hæc *oratio* quam primum et saltem per *semihoram* fiat. Ordinarie consistet in *meditatione* circa verba Christi Domini aut in contemplatione Ejusdem mysteriorum. Nihil tamen

impedit quominus adhibeatur aliqua ex aliis methodis a magistris vitæ spiritualis propositis, juxta diversum animæ statum in quo quisque inveniri contigerit. Immo poterit tempus impendi in exponendis Christo Domino necessitatibus propriis, in consulendo Ipso. circa modum agendi in difficilibus adjunctis, in commendandis Ipsi animabus quorum saluti quis adlaboret. Sacerdos est *oeconomus* Christi; nec unquam nimis facere poterit quo se Domini sensibus et desideriis imbuat.

52. In *Sacro Missae Sacrificio* indies magis coarctatur et consummatur unio inter Cor Jesu et cor sacerdotis. Ideo magna hæc actio erit associatis suæ existentiae centrum et cardo. Ad illam, nisi immediate præiverit aliud pietatis exercitium, sese præparabunt per aliquot temporis momenta; eam celebrabunt profunda recollectione mentis, distincte verba pronuntiantes ceremoniasque peragentes modo qui sit assistentibus ædificationi. Ut simul indecora festinatio et immoderatus lentor vitentur, ad altare litantes stabunt *semihoram* non multo excedentes nec multum abbreviantes.

53. Maxima cura in usum suum spiritualem assument *pretiosa momenta quæ Sacram Missam sequuntur* et in quibus gaudent possessione Jesu realiter in eorum pectore præsentis. Tunc præcipue sensa dulcis Salvatoris nostri intime sua

facient Eumque orabunt ut in ipsis destruat quidquid Ei displicere possit; tunc in se excitabunt ardentissimum desiderium sese transformandi in Jesum Christum Ipsique ferventer commendabunt bonum spirituale tum proprium tum animarum ipsis commissarum, et necessitates Ecclesiæ universæ (saltem per $\frac{1}{4}$ horam).

54. Recitabunt *officium divinum* omni qua potuerint cura, amoventes distractionis causas quibus impediri possent ne præclaram hanc obligationem cum fructu adimpleant. Memores præsertim erunt S. Augustini doctrinæ juxta quam Christus in psalmis orat; quos recitantes, suas orationes suosque sensus unient orationibus et sensibus ipsius Christi.

Omnes sanctum habitum acquirent pridie Matutinum et Laudes anticipandi. Specialiter orabunt pro necessitatibus Ecclesiæ et Romani Pontificis, pro episcopis et diœcesi ad quam pertinent.

55. Quotidie *lectionem unius capituli* facient *ex Sacra Scriptura*; cujus ut diversas intelligant interpretationes utentur aliquo commentatore approbato.

56. *Theologiæ studio* tempus magis minus longum (saltem per $\frac{1}{2}$ horam) impendent prout sancti ministerii occupationes permittent. Quod studium successive circa varias Theologiæ partes, inclusa quoque historia Ecclesiastica versari poterit.

Una tamen præ ceteris pars est cui constanter incumbendum est, utpote quæ cotidiano usui sacerdoti esse debet, scilicet *theologiae moralis*. Cui si singulis diebus certum aliquod tempus consecrari posset, non quidem doctrina auctorum memoriter tantum repetenda, sed proprio efformando iudicio, nihil utilius foret.

57. Singulis quoque diebus tempus aliquod concedatur *lectioni spiritualis libri vel vitae Sanctorum* ($\frac{1}{4}$ hora). Vivæ Christi imagines quum sint, sancti docent et nos eundem Christum imitari; eorumque exempla in specie sanctorum sacerdotum, melius nos instruent quam libri alii plerique.

58. In domibus ubi plures sacerdotes membra **Unionis** *refectiones corporis* in communi sumunt, initio prandii fiet lectio ex Sacra Scriptura, et initio cœnæ ex Imitatione Christi; Superior vel, eo deficiente, senior mensæ benedicet. Tempore refectionis si nulla fiat lectio, colloquentur de rebus ad ædificationem facientibus et cavebunt ne quid dicatur quod ab inservientibus famulis cum incommodo audiatur.

59. Post refectiones, permittetur honesta *recreatio* per horam, quam utiliter valde impensam existimabunt, si unionem animorum promoveat. Ad ægrotos et parochianos visitandos eligatur tempus refectiones propinquius sequens quod studiis minus aptum est.

60. Post meridiem, associati instituent visitationem sanctissimi Sacramenti. „Ardens sitio, aiebat Dominus Noster Beatæ Margaretæ Mariæ, ut ab hominibus diligar in Sanctissimo Sacramento et vix aliquem reperio qui, juxta vota mea, ad sitim meam sedandam se offerat, aliqua ratione parem mihi reddendo amorem.“

61. *Rosarium*, si bene recitetur, potenter conferet ad relevandum animum, cujus fervorem multiplicia diei opera et distractiones imminuere possent. Quod exercitium sacerdotes **Unionis** in veram orationem convertent, pie meditando in mysteria, eamdemque apostolicam reddent, singulas ejus decades, juxta consilium P. Holzhauser, pro singulis particularibus necessitatibus offerendo.

62. Sacerdotes Associationis, consilium sancti Francisci Salesii sequentes, longiores vitabunt vespertinas *vigilias*. Idcirco *ultra decimam horam illas non protrahent* et ante decubitum preces vespertinas recitabunt, meditationem subsequentis diei parabunt et præteritæ diei examen instituent.

63. Simul et quidem accuratissime perficient *examen particulare* circa defectum suum dominantem. Quod exercitium a quo magna ex parte dependet eorum in virtute progressus, abundantiores ferret fructus si etiam semel *circa mediam diem* institui posset.

64. Associati vespere singulis diebus notabunt in formula ad hoc præparata modum quo per diem adimpleverint regulam suam.

65. Quod si plures simul socii habitaverint, valde optandum est ut inter se conveniant, quantum fieri potest, aliquam saltem suorum exercitiorum spiritualium partem, regulariter simul peracturi.

III.

Singulis hebdomadis.

66. Sacerdotes **Unionis** *singulis hebdomadis vel saltem singulis quindenis*, sacramentaliter confitebuntur. Quod etiam sæpius facere non dubitabunt, diem statutum prævertentes, si qua necessitas videretur ad conscientiam perfecte puram altari afferendam. Sui confessarii monita non tantummodo dociles audient, verum eum ipsi rogabunt ut eos instruat, si quando in defectus ignotos ipsi caderent.

IV.

Singulis mensibus.

67. Singulis mensibus instituent *recollectionis diem*, quo adjuventur ad corrigendos errores si quos admiserint et ad fervorem renovandum.

Meditatio ea die melius præparata, fiet circa materiam ad dictam renovationem efficiendam aptissimam; in hunc finem alii pro aliis in *memento* Missæ Deum exorabunt.

Per diem, saltem semihoram impendent serio examini suæ agendi rationis per mensem.

Varia regulæ capita percurrentes, notare curabunt infidelitates suas ut de iis sive viva voce, sive scripto referant ad animæ suæ directorem qui convenientibus occurrat monitis. His etiam exercitium præparationis ad mortem subjungent. Quo majore recollectione ille parvus secessus spiritualis peragatur, vitandæ erunt, quantum poterunt visitationes tum faciendæ tum accipiendæ.

68. *Initio uniuscujusque mensis* ad Superiorem mittenda erit formula in qua singulis vespers notatæ fuerint exteriores contra regulam defectus, quo Ille uniuscujusque agendi rationem cognoscat possitque, dictam formulam remittens, utilia monita et consilia tradere. Quæ praxis, naturæ quidem ingrata, indubia gaudet efficacia ad regulas fideliter servandas, quum sit quotidiana quædam ratio reddenda partim supplens vitæ communitatis commoda. Unde etiam fit ut omnes nostræ societates illum usum et maximi habeant et accurate conservent *tamquam rem essentialem*.

V.

Singulis annis.

69. Si *exercitiis spiritualis secessus* in diœcesi sua interesse obligati non fuerint, conabuntur omnes nostri socii singulis annis exercitia illa facere saltem per quinque continuas dies. Atque multum prodesset, si ad hoc simul convenire possent, ut dirigente aliquo apto sacerdote ea facerent, qui eos melius animaret ad **Unionis** nostræ officia fidelius servanda.

70. Multum sociis nostris suadetur, ut quantum circumstantiæ permittant, *saepe inter se convenient*, sive ad colloquendum de rebus Dei, et ministerii sui sacri, vel de rebus quæcumque ad finem nostræ unionis promovendum concurrere possint, sive ad menstruam recollectionem simul faciendam, sive ad aliquam collationem de rebus spiritualibus, vel de quovis puncto scientiæ ecclesiasticae. Nec vero magna utilitate carebit, si qui longius inter se distantes, ad mutuam aedificationem litterarum aliquoties commercium habeant.

VI.

De aliquibus rebus in specie.

71. Parochialis ministerii opera ita varia sunt, ut alia ab aliis satis sublevent ac relaxent ani-

mum, nec levamen aliud vel recreationis vacationem quaerere oporteat. Quare eae recreationes quas decenter admittere citra certos quosdam limites poterunt, colloquendo habeantur cum sociis sacerdotibus de rebus tum utilibus tum amœnis, vel aliquid manibus operando, quo animo quidem procuretur quies aliqua, otio tamen nihil concedatur.

72. At sicut aliquae recreationes possunt esse honestae, ita lectiones non paucae vera temporis inutilia detrimenta sunt. Nostri ergo socii ab innumeris illis hodiernis foliis cotidianis ac libellis cavebunt, in quibus et vix ac ne vix quidem addiscere quidquam possent, et saepius nonnisi spiritualis recollectionis pacem imminuere immo et quandoque sanctae modestiae virtutem deperdere possent. Nec minus cavendum sibi putabunt ab aliis magis seriis quidem studiis, sed a vocatione nostra plane alienis, vel ab artibus quae pulchrae artes, seu artes amœnae vocantur. Quae si eorum tempus nimium occuparent, vel mentis libertatem minuerent, nocivae essent aestimandae, quandoquidem sacerdotis tempus omne et omnis activitas debent Jesu Christi et animarum esse.

73. *Ludum chartarum*, ut vocatur, nostrae **Unionis** membra optabilius quidem omnino excluderent; si tamen in ea re aliquando confratribus invitantibus existimaverint cedere pau-

lulum se debere, totis animorum viribus invigilent ne in diuturnas temporis ac spiritus jacturas pertrahi se permittant. Ad eum finem utilius foret, si vel minime pro pecunia ludant, vel certe numquam pro multa pecunia, et quidquid ita lucrifactum fuerit convenient ad aliquod pium opus vel sublevandos pauperes, esse applicandum.

74. Iter facere ad curiosa videnda vel merae recreationis causa, numquam velint confratres nostri. Quod si aliam meliorem causam sibi adesse senserint, serio prius pensandum erit, num tam graves eae causae sint, ut multis talium itinerum detrimentis incurrendis sufficiant. Ac tandem, quidquid videatur, nihil melius agent quam si superiorem sui sodalitii consulant ejusque monita sequantur.

75. *Visitationes* merae urbanitatis causa rarissime **Unionis** socii instituent ac si feminas visitantes accipere debeant, cum illis soli esse omni ope fugient, non nisi in aperto loco eas admittendo, easque brevi expediendo quantum res fieri poterit.

76. *Litteras* mittere ad eas vel ab eis accipere nonnisi parcissime consentiant; sint litterae rarae, sint breves, sint prudenti ratione scriptae. Cum enim semper timori sit locus, ne qua causa vel casu epistolae in alienas vel hostiles manus perveniant, semper tales esse eas oportet, ut nihil in eis sit quod unquam sacerdos erubescere debeat.

77. *Æs alienum contrahere socii nostri vitent; quos si quando necessitas urgeret prius tamen superiorem suum consulant. Missarum quoque dicendarum registrum ita concinnum teneant, ut si inopinata morte correpti fuerint, aliis facile sit, quae in hac re existant obligationes dignoscere, ut iisdem satisfiat.*

Circa res temporales suas ordinem studeant habere; quare acceptorum et expensorum semper rationes exacte adnotatas custodiant.

78. Quicumque **Unionem** nostram ingrediuntur, sine mora debent *ad maiorem Dei gloriam* testamentum suum scripto condere, consultis quidem prius viri in ea re peritis, ut errores omnes in tali materia tam lugendi vitentur.

ART. 2.

*Regulae et principia spectantia diversa ministeria quibus exercendis membra **Unionis** occupari contingit.*

- I. Natura ministeriorum; — II. De praedicatione; — III. De catechismis; — IV. De sacramento Pœnitentiæ; — V. Visitationes infirmorum, pauperum, afflictorum; — VI. De piis associationibus et confraternitatibus inter fideles; — VII. De secessibus et missionibus; — VIII. De magnis catholicis operibus; — IX. Monita pecularia pro parochiis et vicariis.

I.

Natura ministeriorum.

79. Sacerdotes **Unionis** socii licet in iisdem atque ceteri sacerdotes functionibus occupati, harum tamen fructus speciali ratione securos reddent, tum mutuo auxilio sibi praestito, tum spiritu Domini Nostri dictas functiones vivificando.

II.

De praedicatione.

80. Quo quidem spiritu suam animabunt praedicationem, omnem suam doctrinam ad Verbum Incarnatum reducentes, praeprimis infinitas Ejus amabilitates revelantes et magna Ejus verba exemplaue memorantes. Quo fiet ut verbum christianae praedicationis, nedum sit abstractio arida frigidaque, voluntati roborandae et cordi commovendo inepta, e contra evadat religio viva, amans simul et amabilis, tam condescendens quam perfecta; brevi, religio Cordis Jesu.

81. Nihilominus ne mere affectiva sit eorum praedicatio, ante omnia conabuntur suos auditores instruere, eos semper modo eminenter practico eorumque intellectui adaptato alloquentes.

A dogmate non separabunt conclusiones morales, nec a piis exhortationibus solidam, puram, claramque doctrinam.

III.

De Catechismis.

82. Præprimis illam docendi rationem magno animo amplectentur, quam Christus Dominus prædilexit; instructionem videlicet parvulorum et rudium. Catechismi expositionem habebunt ut omnium pastoralium functionum suavissimam; cui recte adimplendæ toto pectore incumbent adeo ut suum erga illam affectum tam pueris quam adultis, quibus sæpe catechismus non minus utilis est, haud negotio communicent.

83. Quantum potuerint, in tres categorias dividunt pueros qui christianam doctrinam docendi sunt: prima classis complectetur infantes qui sextum annum attigerunt et ad confessionem communionemque præparandi sunt; secunda classis comprehendet pueros qui post unum vel duos annos primam solemnem communionem peracturi sunt; tertia classis erit illorum qui ad primam synaxim jam accesserunt quibusque, in catechismo perseverantiæ, magis evolutam religionis notitiam tradere confert.

84. Sit doctrina ad captum uniuscujusque classis accommodata: omnes vero æquali affectu amplectatur. Sancti Pauli vestigia prementes, conabuntur socii, matris ad instar, parvulos adhuc solidiore cibo incapaces, lacte doctrinæ nu-

trire; ideoque cum parvulis et ipsis parvuli fient, utentes loquendi modo simpliciore, vividioribus comparationibus et historiunculis ex Sacra Scriptura vel vitis Sanctorum desumptis, quibus doctrina praxi illustratur.

85. Juniorum auditorum attentionem ut stimulent eorumque levitatem comprimant, potius animum addant quam reprehendent, remunerationis spe potius quam punitionis timore eos alliceant et præsertim spiritu fidei ac motivis supernaturalibus ducant. Quod si eo pervenerint ut a tota nascente generatione doctrina Christiana cognoscatur et ametur, tamquam de egregio triumpho Deo gratias referent.

IV.

Sacramentum Poenitentiae.

86. Tribunal confessionis alius campus est in quo sacerdos Jesu Christi caritatem exercere oportet. Ibi a Domino edocetur artem divinam peccatoribus simul animum addendi, peccatique horrorem inspirandi. Exemplar suum perperam intellexisse se existimet nisi tenerrima mansuetudo erga peccatores in ipso eluceat. Sane, si quem intellexerit male dispositum ad sacramentum accedere, ipsi denegabit absolutionem quæ foret nociva; nihilominus ad disponendum illum omni zeli sui conatu nitetur; et etiamsi absolu-

tionem judicaverit esse differendam, hanc dilationem libenter a peccatore acceptari curabit. Longe absit ab illis, funestissimum illud præjudicium, quo olim in quibusdam regionibus ab absolute impediabantur parvuli. E contra a prima jam ætate ipsos ad pœnitentiæ tribunal conducent; speciales ipsis assignabitur dies quo facilius præparentur et peracta hac præparatione eos absolvere non dubitabit dummodo peccanti capaces cognoscuntur.

87. Sacerdos in sancto tribunali non solum confessarius est verum etiam director; ad quod munus iterum ipsi perutilis est unio cum Sacratissimo Corde Jesu, quandoquidem hæc est eius missio, ut Jesum Christum in animabus efformet, eius imaginem in quavis anima secundum suam cuiusque aptitudinem reproducendo. Ad quam certe missionem omnino necesse est, ut et Dominum ipse bene cognoscat, et eius in animam quamvis consilia prudenter dignoscat. Quo solo pacto poterit sapienter in ea vel evellere vel plantare, fortiter defectibus expugnandis, vel solidis virtutibus acquirendis eam dirigere ac ducere.

V.

De aegrotis, pauperibus, afflictis.

88. **Unionis** nostræ socii, exemplum sequentes Jesu Christi, maiorem caritatem, tene-

riorem devotionem ostendent erga Christi patientia membra, *aegrotos, pauperes, afflictos* numquam, quantumvis importunos, repellentes, semper parati ad eundem quoties ad aegrotos vocabuntur, sæpe eos visitantes ac caritate sua eos semper aliquo modo sublevantes, ac consolantes. Probationes quibus parochiani obnoxii sunt, ut nuntias divinarum misericordiarum habebunt, festinabuntque fidei et caritatis solatia in omnes domos inferre quarum illæ celestes nuntiæ ipsis januas aperuerint.

VI.

Associationes piæ et confraternitates inter fideles.

89. Varia ista opera sacerdotis zelo preciosa valde suppeditant auxilia, quippe quæ occasionem ipsi præbebunt unicuique sui gregis categoriæ, juxta particulares earum necessitates, suam doctrinam adaptare; in illorum operum præsidibus vel præfectis inveniet adjuutores quorum actio haud negotio sæpe obtinebit id quod ipse ægre obtinere posset. Magna apostolicorum virorum ars est ut suam actionem latius propagent, efficiendo ut alii sub ipsorum directione agant et laborent.

90. Invenes et viri speciali curæ erunt membris **Unionis**. Conabuntur instituere congrega-

tiones, patrocinia, societates, confraternitates ex viris et adolescentibus compositas; quae excellentissima opera maxima cura conservare et evolvere studebunt. Conventus perfectissima regularitate habere, regularum strictae observationi invigilare, ratione practica et persuasiva instruere, ad sacramentorum frequentationem incitare, supernaturalibus potius quam humanis mediis fidere, ipsam institutionem germano Christi spiritu animare, haec sunt praecipuae successus conditiones.

91. Si res fieri potuerit, die dominica missa pro solis viris statuatur celebranda, et quidem hora conveniente. In hac missa habeatur instructio quae ultra decem minuta vel horae quadrantem non protrahetur. Viris illis semper assignabitur locus commodus unde et ceremonias facile videre et concionem audire valeant; quae quidem talis erit ut eorum mentes benevolas attentasque retineat. Si possibile sit juvenum choros exercere qui cantica in Ecclesia canant, utile opus sacerdos ne negligat etiamsi per hebdomadam aliquoties repetitiones tradere cogatur.

92. Similibus fere modis etiam *puellarum sodalitates* Mariales efformabuntur et curentur, ita et associationes Matrum Christianarum vel Sanctae Annae pro matribus familias, Sanctae Notburgae pro famulabus, etc.

VII.

De secessibus et missionibus.

93. Quantumvis efficaciae et irresistibilis virtutis plena sint superius exposita media salutis, si diu atque uniformi regularitate adhibita fuerint, non tamen prohibere poterunt quin plures animae paulatim in lethalem torporem incidant; unde ut excitentur et in rectam viam restituantur, extraordinariis mediis interdum uti necesse est, qualia exercitia sunt quae dicuntur *missiones*, *sodalitatum secessus*, *primae communionis praeparatio*, *adoratio perpetua*, quarum occasione maximi saepe atque insperati fructus colliguntur. At missionarios parochiae alienos ad hoc opus convocare non semper facile, saepe difficillimum est. **Unionis** igitur nostrae sacerdotum zelus saepius rem hanc obtinere poterit, si sibi mutuo subvenire voluerint, quin immo et minutis expensis hoc idem perficere poterunt. Sint ergo semper parati, quantum propriae parochiae necessitates permiserint, suos confratres in aliis parochiis ad illud opus iuvare postea vicissim ab iisdem par auxilium accepturi.

94. Ac si paulatim propagata fuerit sacerdotum vita communis, expensis minoribus maiori eorum numero provideri poterit, quo fiet ut et multo facilius evadat illud mutuum auxilium. Nec

vero solis parochialibus fidelibus, quibus interdum talia exercitia dabuntur, ea plurimum proderunt, verum et ipsis sacerdotibus maxima exinde bona provenire sentientur, cum et otii pericula procul avertantur, et tales materiae sint tractandae qualibus sacerdotum mentes acuantur, zelus stimuletur, mutuae confratrum experientiae communi thesauro quasi cumulentur, et tandem animarum necessitates ac pericula intimius penetrata patefiant ac cognoscantur.

VIII.

De magnis catholicis operibus.

95. Vocationes ad statum Ecclesiasticum inquirere et fovere apud pueros, magni faciant nostrae **Unionis** socii. Speciali vigilantia et cura prosequuntur eos apud quos tam preciosae vocationis germina repererint; eos ad ingrediendum Seminarium praeparabunt, ad solidam pietatem eos instituendo, prima litterarum rudimenta eos edocendo et rationem ipsis ostendendo qua pie ceremonias Ecclesiae obeant. Quae paterna sollicitudo eos sequatur etiam in Seminario jam ingressos et praesertim feriarum tempore domi reduces.

96. Ceteris etiam operibus quae generale Ecclesiae bonum et salutem animarum spectant, pari ratione favebunt, qualia sunt *Apostolatus*

orationis qui Christianos incitat ut sibi omnes intentiones et desideria Cordis Jesu tamquam propria assumentes, omnia sua opera, merita, orationes, ad eos Christi fines dirigant et ad eos Christi triumphos obtinendos applicent; vel *Associatio propagandae fidei* quae cum orationis eleemosyna materialia jungit auxilia; vel *Sanctae Infantiae societas* quae, pueris infidelibus baptismatis gratiam procurans, etiam inter fideles pueros tam felices fructus producit; associatio Sancti Bonifacii et Opus evangelisationis quae intendunt fidei conservationem; Denarium Sancti Petri quo Summo Pontifici in gravibus suis expensis adjumentum praestatur.

IX.

Monita specialia ad parochos et vicarios directa.

97. Cognitio et amor Cordis Jesu magnae utilitati erit sacerdotibus qui in functionibus parochi vel vicarii occupantur ut *pastoris* munus recte obeant. Pastoribus pacem vel otium nullum permittet caritas illius Cordis divini, donec universas oves in ovile Domini reducant. Neque ut in templum ipsae ad se veniant expectantes, pastores potius ad ipsas per domos circuibunt quaerentes, repulsibus non terrii, caritate sexcentas industrias suggerente quibus accedentes recipiantur; bonitate erga pueros, compassione

cum aegrotis, commiseratione erga quasvis miseriae et probationes, portas sibi aperient quae soli zelo praecclusae videbantur. Quotannis quando poterunt singulas suae parochiae domos adibunt, tanta bonitate visitantes, tantoque erga omnes affectu, ut cunctis favorem praestitisse videantur. Ceterum quanto zelo constantique ardore gratiae triumphum in animabus promovere conabuntur, tanta quoque mansuetudine et patientia expectandum illum sibi esse persuadeant.

98. Maxime sibi caveant, ne feminarum, quantumcumque piæ ac devotæ illæ sint, influxum subeant vel subire videantur. Inter eas autem nonnullæ sunt quæ cum pietate non careant, misera tamen arte et sacerdotum quibus servire volunt famam lædunt, et in parochiis divisiones dissensionesque seminant. Has omni ope longe a se Sacerdos arcebit.

CAPUT III.

DE MODO GUBERNANDI IN UNIONE APOSTOLICA.

- I. De modo gubernandi in Unione Apostolica;
— II. De vinculo caritatis **Unionis Apostolicæ generalis.**

99. **Unio Apostolica**, juxta superius dicta, considerari potest ut *Unio generalis* et ut *Unio dioecesana*.

ARTICULUS PRIMUS.

Modus gubernandi in Unione dioecessana.

100. Membra **Unionis diœcesanæ** unam eandemque familiam ecclesiasticam constituunt. Mutuo se habeant ut fratres quos Dominus noster intime conjunxit ut sibi invicem, prout occasiones postulant, auxilium præstent tum in opere propriæ sanctificationis, tum in obeundis sui ministerii sacerdotalis officiis.

101. Associationes diœcesanæ inter se independentes sunt et manent perfecte auctoritati Ordinarii subjectæ; unaquæque habet particulares suas constitutiones, juxta necessitates et membrorum vota, regulæ superadditas.

102. Unaquæque diœcesana associatio potest ergo suum gubernandi modum, ut sibi placuerit, determinare, dummodo: 1^o adoptet regulam generalem **Unionis**; 2^o instituat concilium directionis quod saltem constet aliquo superiore et duobus assistantibus; 3^o membra habeant cum superiore saltem illas relationes quæ nn. 64 et 68 generalis regulæ statuuntur.

ART. 2.

De vinculo caritatis Unionis apostolicæ generalis.

I. Natura hujus vinculi; — II. Generalis inde sequens organizatio; — III. Commoda spiritualia. — IV. De aggregatione ad **Unionem**.

I.

Natura hujus vinculi.

103. **Unio Apostolica**, qua opus generale, complectitur et inter se devincit omnes diœcesanas sacerdotum associationes quotquot regulam **Unionis** superius expositam adoptare consentiunt.

104. Vinculum quo associationes diœcesanæ cum **Unione generali** devinciuntur, est vinculum caritatis non autem vinculum tantummodo dependentiæ. Quod quidem necessario sequitur ex dictis n. 101.

105. Ex quo caritatis vinculo, ut longa constat experientia, consequitur quod unicuique associationi ad **Unionem** pertinenti procurentur auxilia qualia quisque sacerdos in sua diœcesana associatione reperit. Talis conjunctio ipsis associationibus præstat utilia incitamenta et insuper aliquam vitalitatem ac stabilitatem quas, si separatæ existerent, consequi non valerent.

II.

Organizatio generalis inde resultans.

106. Variæ diœcesanæ associationes inter se devinciuntur et unificantur in **Unione generali**: beneficio 1º regulæ Unionis; 2º unius generalis præsidis; 3º concilii bis in anno convocati; 4º generalibus Superiorum conventibus.

107. Generalis præses in plenario conventu eligitur ab omnibus superioribus, ad sex annos et iterum eligi potest.

108. Ipse nominat duos assistentes *generales* et assistentes *provinciales*.

109. Concilium constat Præsede, generalibus assistantibus et quatuor membris. Hi omnes prima vice in plenario conventu designantur; deinceps vero concilium seipsum constituit usque ad proximum plenarium conventum.

110. In ipso concilio constituitur comitium (bureau) quod singulis binis mensibus convenit et complectitur Præsidem, ejus duos assistentes et secretarium.

Comitium simul cum præside curat generale bonum **Unionis** et concilii decisiones exsequitur.

111. Concilium consulitur de omni quæstione quæ spectat gubernationem **Unionis**, nominationem assistantium, solutionem difficultatum quæ offerri possunt.

112. Assistantium provincialium est **Unionem** propagare in suæ respectivæ regionis diœcesibus in quibus nondum existit, convocare conventus superiorum et annuos promovere secessus.

113. Conventus generalis singulis senis annis ex obligatione agitur. Valde optandum est ut durante sex annorum intervallo alius cogatur conventus superiorum. Unaquæque associatio curat in conventu generali repræsentari per

suum superiorem vel per delegatum. Ipsa solvit itineris aliaque expensa illius qui ad eam repræsentandam designatur.

Superiores associationum quæ plus æquo distant, vel superiores impediti invitantur ut via epistolarum sua vota exprimant.

114. Semel singulis annis, unusquisque superior ad generalem superiorem mittet conspectum status associationis in sua diœcesi. Cui relationi præses generalis respondebit, mittendo unicuique superiori generalem relationem statum operis in diversis diœcesibus summatim exponentem.

115. Ut facilis evadat relatio quam superiores associationum particularium ad generalem Præsidem mittere debent, quæstionum series ad hoc redigetur et a Præsidi generali mittetur.

116. Ad calcem relationis quam unaquæque associatio ad generalem Præsidem mittit, indicentur oportet puncta quæ utiliter in concilio tractari possunt. Ita, Præsides generales undique magni momenti quæstionum complexum colligens, earum solutionem tradet.

117. Identidem poterit Superior, quando convenire judicaverit, litteras circulares ad associatos mittere.

118. Singuli Superiores mittent Præsidi aliquot exemplaria dispositionum et litterarum suarum, quo præses semper statum singularum associationum cognoscere queat.

119. Existit arca *generalis* operis. Hæc arca alitur ratis pecuniæ collationibus sociorum et donis voluntariis. Collatio sociorum erit unius Marki quotannis.

120. Jamdudum editur ab **Unione** libellus menstruus, sub titulo studia ecclesiastica ¹⁾ qui tractat de obligationibus sacerdotii et ministerii pastoralis, quo sociis periodice modus communicandi inter se præstetur.

In hoc libello emittitur quidquid **Unioni Apostolicæ** prodesse et extensionem et perfectionem ejus promovere possit; præ ceteris insistit omnibus studiis quæ æstimationem *vitæ communis* augeant et sacerdotibus suadeant ut sese magis ac magis per *pias associationes* uniant.

Præterea articuli serii ac varii tractant de vita spirituali, de theologia pastorali, de hagiographia et de bibliographia.

Omnes socii **Unionis Apostolicæ** huic Libello collaborare possunt, imo instantur invitantur ut id faciant. Attamen semper apud Præsidem generalem manebit munus judicandi quid sit utile et opportunum publicare.

Pluries jam cœtus generales votum emiserunt ut socii ipsi singuli Libello subscribant et eum cum zelo diffundant.

¹⁾ In Deutschland erscheint im Oktober 1915 „Unio Apostolica“, Korrespondenzblatt des Priester-Vereins gleichen Namens.

III.

Commoda Spiritualia ab Unione derivantia.

121. Spiritus caritatis qui præfuit formationi **Unionis Apostolicæ** singulos sacerdotes qui in ea inscribuntur ad hoc impellit ut habeant omnes confratres unitos, cujusvis diœcesis sint, tamquam fratres sibi a divino Corde Jesu datos.

122. Omnes socii, sine dictinctione diœcesium ipso facto suæ admissionis, omnes suas preces et mortificationes et generatim omnia sua bona opera in commune conferunt, ita ut inter eos existat communio plena et integra omnium horum operum, et veluti thesaurus communis. Quem thesaurum inter manus sanctissimæ Virginis deponunt et simul ei jus et libertatem relinquunt, eum distribuendi modo quem ipsa convenientem judicarit ad majorem gloriam divini Filii sui, ad majorem utilitatem ecclesiæ, ad majus bonum sociorum singulorum tam in hac vita quam post mortem.

123. Sacerdotes aggregati *quotannis, mense Novembri* Sacrum offerent pro confratribus defunctis.

124. Quotiescumque Socius aliquis e vita discedit Superior ejus Præsidem monet, qui ipse pro defuncto preces associationum diœcesanarum implorat. Tandem omnes sacerdotes qui

aggregantur **Unioni**, participes sunt favorum a Sancta Sede **Unioni Apostolicæ** concessorum.

IV.

De aggregatione ad Unionem.

125. Omnis associatio quæ regulam **Unionis Apostolicæ** sequi cupit et in ejus sinu admitti, quo particeps fiat commodorum et privilegiorum ejus, rem a Præsidente generali petit qui postquam assistentes suos consuluit, aggregationem pronuntiat.

126. Quamvis optandum sit ut in singulis diœcesibus non nisi unica Unio diœcesana existat, attamen quotiescumque commoda materialia vel convenientiæ ita suadebunt, Præsides generalis et assistentes poterunt, si id convenire judicabunt, plures distinctas associationes ejusdem diœceseos separatim aggregare.

127. Omnis sacerdos qui nullam associationem in sua diœcesi cognoscit, et tamen exoptat particeps fieri tantorum commodorum operis hujus sacerdotalis ad Præsidentem generalem **Unionis Apostolicæ** se convertat, qui ei omnes notiones utiles præstabit, et, saltem pro tempore, ejus Superior immediatus erit. Sacerdos ille, etiam in talibus conditionibus constitutus, gaudebit commodis regulæ sub præpositorum moderamine secutæ, potenti stimulo exempli aliorum, et consolationibus veræ amicitiae sacerdotalis; præ-

sertim, particeps erit pretiosæ communionis bonorum spiritualium de qua in tertia parte, et omnium *favorum* spiritualium quibus Sancta Sedes **Unionem** ditescere dignata fuerit.

128. Superiores diœcesani et omnes quorum munus erit notas menstruas excipere, omni studio, speciatim tempore probationis æstimationem vitæ regularis, laboriosæ et apostolicæ apud suos inferiores augebunt.

129. Quo quis particeps fiat privilegiorum **Unionis Apostolicæ**, necesse est, secundum breve Pii X, ut formulam *professionis rite emisit*. Hæc formula vocatur „Promissio stabilitatis“. Adhærentes possunt invitari ad eam emittendam postquam saltem per sex menses proxim notarum menstruarum compleverint.

PROMISSIO STABILITATIS.

Ego coram sanctissima Trinitate, sub auspiciis Sacratissimi Cordis Jesu, sub protectione Virginis Immaculatae, Sancti Josephi, Angelorum nostrorum Custodum, ad majorem Dei gloriam, quo efficacius propriae sanctificationi et saluti animarum me impendam, toto animo ingredior in Unionem Apostolicam sacerdotum sæcularium approbatam a Leone XIII die 31. Maii 1880 et a R. P. Pio X in brevi dato die 28. Decembris 1903. Plenam cognitionem mihi comparavi regularum hujus operis et, fidens Cordi Jesu, pactum in eo eas observandi usque ad mortem.

PARS TERTIA.

FAVORES SPIRITUALES.

CONCESSI.

Sociis Unionis apostolicae.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ.

1^o Indulgentia plenaria die quo emittitur promissio stabilitatis (applicabilis defunctis).

2^o Omnibus qui rite formulam professionis emiserint, i. e. promissionem stabilitatis, conceditur indulgentia plenaria, quotannis festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschalis Resurrectionis, Ascensionis, SSmi. Corporis Domini Nostri, item Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, nec non quolibet festo die Sanctorum duodecim Apostolorum. Indulgentia applicabilis defunctis. Conditiones hujus indulgentiæ: Confessio, Sacrum celebratum vel Communio, visitatio ecclesiæ vel sacelli alicujus publici ubi ad intentiones Summi Pontificis orabunt.

INDULGENTIÆ PARTIALES.

1^o Indulgentia 100 dierum semel singulis diebus pro recitatione orationis *Domine Jesu.*

2^o Indulgentia 100 dierum quoties menstruam vitæ rationis notam ad respectivum Superiorem Diœcesanum juxta instituti tabulas mittant et ad Romani Pontificis mentem Orationem Dominicam et salutationem Angelicam et Trisagium recitent (Romæ per hoc verbum intelligitur *Gloria Patri, etc.*)

3^o Indulgentia 100 dierum his qui menstruæ communi recollectioni intersunt. Hac indulgentia frui possunt etiam sacerdotes, qui licet **Unioni Apostolicæ** non sint inscripti menstruam tamen recollectionem una cum sociis celebrent. Ambæ hæ indulgentiæ defunctis applicari possunt.

PRIVILEGIA.

1^o Participatio maxime extensa in orationibus, pœnitentiis et meritis Franciscanorum, Theatinorum, Carmelitarum, Dominicanorum, Charthusianorum, Trappistarum, Cisterciensium, Præmonstratentium, Benedictinorum.

2^o Facultas peragendi gravibus de causis Missæ sacrificium vel una ante auroram hora.

3^o Privilegium personale altaris privilegiati, ter in hebdomada.

4^o Facultas recitandi Matutinum et Laudes pridie ab hora prima pomeridiana.

FACULTATES.

1^o Facultas erigendi viam crucis, ex consensu Ordinarii.

2^o Applicandi crucifixis indulgentias viæ crucis.

3^o Imponendi scapularium Carmeli. (Pro hac facultate ad Præsidem recurrendum est.)

4^o Dandi Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, ultimo die exercitiorum Quadragesimæ, adventus, missionum et secessuum.

Ad hanc Indulgentiam lucrandam oportet ut fideles saltem ultra medietatem dierum quibus conciones perduraverint interfuerint, et confessi ac S. Communione refecti ecclesiam seu sacellum in quo conciones habitæ fuerint eodem die devote visitent, ibique orent ad intentionem summi Pontificis.

5^o Facultas extra Romam, de consensu Ordinarii loci in quo hanc facultatem exercent, applicandi objectis pietatis indulgentias *apostolicas* et rosariis indulgentia S. Brigittæ nuncupatas.

Hæc sola facultas clausulam fert: *De Consensu Ordinarii*. Hic consensus plerumque modo permanenti et generali datur. In dubio certiores fiant apud superiorem diœcesanum.

6^o Potesta applicandi rosariis indulgentias dictas „der Kreuzherren“.

ORATIO
QUOTIDIE DICENDA A SACERDOTIBUS
UNIONIS APOSTOLICÆ.

Domine Jesu, ego licet indignus, in sortem sanctissimi ministerii electus, et impulsus tibi serviendi desiderio, suppliciter peto, ut in conceptis propositis meis usque ad mortem perseverem, et quotidie magis magisque perficiar in spiritu sanctissimæ meæ vocationis, scilicet in spiritu fidei, puritatis, humilitatis, paupertatis et obedientiæ, in spiritu mortificationis, mundi meique contemptus, charitatis, denique zeli et solidæ pietatis, ita ut formeris in me, Christe, et dicere valeam: „Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.“

O clemens! o pia! o dulcis virgo Maria, per te fiam votorum meorum compos, donec tecum cœlestis gloriæ fiam particeps.

Sanctissime Joseph, sancti Angeli custodes, orate Cor Jesu pro Unionis Apostolicæ dilata-tione ejusque fervore. Amen.

PARS QUARTA.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

LEONIS PP. XIII.

QUIBUS PROBATUR UNIO APOSTOLICA.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non sine magna animi Nostri jucunditate, Dilecte Fili, didicimus e colloquio litterisque tuis, opus revocationis Cleri sæcularis ad vitam qua fieri possit, communem, quantumvis arduum adeo prospere processisse, ut jam triginta pervaserit Galliarum Diœceses et Belgicas omnes, probantibus Episcopis. Ad hæc tempora, adeo Ecclesiæ infensa et animabus periculosa, servasse videtur divina Providentia instaurationem salutaris istius instituti, quod antiquis præceptum canonibus sæculorum lapsus et vicissitudines obliteraverant; quodque, licet invectum iterum et propagatum serius a Venerabili Bartholomæo Holzhauser, rursum extinxerant præteritæ nostræque ætatis commotiones.

Et sane: sive spectare placeat minus solidam et concordem institutionis indolem, cui perturbationes istæ sejunctos levitas obnoxios fecerunt, diversamque inde partam sentiendi, judicandi docendi rationem; sive considerantur

artes, quibus osores Ecclesiae, unitati catholicæ disgregandæ intenti, adlaborant Clero vitiando, dissociando, avertendo a propriis Pastoribus et ab hac Apostolica Sede: superno prorsus consilio factum videbitur, ut impetitæ unitati, tuendæ confirmandæque vetus Institutum necessitati accommodatissimum ad novam nunc vitam revocaretur.

Uniformis enim vivendi ratio universis proposita: exercitia quæ foveant pietatem muniantque virtutem adversus sæculi pericula; gestorum priorum rationes ultro redditæ præpositis eorumque animadversionibus periodice subiectæ; menstrui conventus ad spiritualia colloquia de rebus ad ministerium spectantibus, quæ mentes non satis concordēs ad eandem sententiam adducant; præstitutus finis, ad quem sub Episcopi moderamine vires omnes jungantur; studium ex ipsa consuetudine et amicitia erumpens invicem sibi subveniendi: hæc omnia non modo unum facient ex iis omnibus qui communi gaudebunt contubernio; sed ceteros etiam sodales inde avocatos a proprii officii curis ita spirituali nexu devincient, ut nemo se sentiat a familia divulgum, moderatore privatum, sibi relictum, opportuno fratrum auxilio consilioque carentem.

Quamobrem si Decessores Noſtri amplissimis commendarunt laudibus utilissimum hoc

Institutum; id ultro libenterque et Nos facimus, potissimum in tanta temporum difficultate quæ illius opem plane postulare videtur; imo quotquot sunt sæculares sacerdotes hortamur, ut sibi ipsis rei que religiosæ efficacius prospecturi saluberrimæ isti Consociationi dent nomen. Moveat eos haud obscurum divinæ Providentiæ placitum quæ nunc denuo suscitavit hoc Institutum in Ecclesiæ suæ laborantis subsidium. Moveant cælestes benedictiones, quibus inter gravissimas difficultates brevi hujus operis incrementa mirabiliter provecta fuerunt. Moveant Episcoporum plausus, constantes Apostolicæ hujus Sedis laudes, fructus jam parti, quos semper uberiores propagatio ipsa Consociationis merito spondet.

Hos Nos amplissimos ipsi ominamur in Cleri sanctificationem religionisque Nostræ sanctissimæ gloriam; dum superni favoris auspicem et paternæ Nostræ benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem, tibi Dilecte Fili, toti, cui præes, Consociationi et iis omnibus qui eidem daturi sunt nomen peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 31. Maii 1880, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Victori Lebeurier, Canonico Aurelianensi Praeposito Generali Consociationis Apostolicæ.

LITTERÆ APOSTOLICÆ PII PP. X.

PROTECTORIS IMMEDIATI UNIONIS APOSTOLICÆ.

PIVS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Cum Nobis nihil antiquius sit quam ut viri, in sortem Domini vocati, constanti Christianarum virtutum laude florescant ac veluti lucernæ super candelabrum positæ, exemplo populi præfulgeant, quæ in Cleri Catholici bonum, ædificationem et spirituale emolumentum cedant, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, Apostolica quidem auctoritate interposita, paterno studio provehere satagimus. Quare non sine magna animi Nostri consolatione compertum habemus pium opus ab Unione Apostolica sæcularium Sacerdotum appellatum, iam inde ab anno MDCCCLXII in Gallia erectum, nunc annuentibus Episcopis plurimas totius Christiani orbis diœceses pervasisse, et modo in Gallia, Belgio, Anglia, Scotia, Hibernia, Germania, Helvetia, Italia, fœderatis Americæ Septentrionalis statibus, Canadensi ditione, America Meridionali, Australasia, et in nonnullis etiam Asiæ regionibus florere, atque uberes edere in Dominico agro pietatis et sanctimonix fructus. Hoc enim institutum, *cujus et Nosmet Ipsi olim fuimus alumni*, cuiusque utilitatem atque excellentiam

experti, vel in Episcopali dignitate constituti,
 participes esse volumus, proposita universis
 sociis uniformi vitæ ratione, menstruis conven-
 tibus, spiritualibus conloquiis, gestorum pro-
 priorum nota præpositis suo tempore reddita,
 aliisque aptis charitatis officiis Cleri unitatem
 tuetur, firmat, sparsosque levitas spiritualis fra-
 ternæ dilectionis vinculo devincit. Inde mira
 sodalium concordia, mutua ædificatio, sanctius
 servatus vocationis spiritus et, amoto solitudi-
 nis periculo, coalescentibus in unum multorum
 viribus, quisque Sacerdos in communem utili-
 tatem ac perfectionem animum intendit, et licet
 variis ministerii sui curis distractus communi
 contubernio non utatur tamen nec a familia de-
 sertum sentit nec fratrum auxilio consilioque
 caret. Idcirco Decessor Noster re. me. Leo
 PP. XIII, Episcoporum plausu et commendationibus
 adductus, datis apostolicis litteris, die XXXI maii anno MDCCCLXXX, frugiferum
 hoc institutum probavit, atque amplissimo
 laudis præconio prosequutus est, eique postea
 anno MDCCCLXXXVII cla. me. Lucidum Ma-
 riam S. R. E. Episcopum Cardinalem Parochi
 Protectorem adsignavit. Nos vero animo repe-
 tentes hoc potissimum tam gravi tempore quam
 utile ac salutare sit Ecclesiæ Dei institutum hu-
 jusmodi, probe noscentes sacerdotes qui ad illud
 pertinent præ omnibus optimos esse, votis di-

lecti filii Victoris Lebeurier, canonici ornamentarii Aurelianensis et Prælati Nostri Domestici, fundatoris benemeriti et quadraginta duobus iam inde ab annis Apostolicæ Unionis Moderatoris Generalis, ultro libenterque annuimus, atque in ipsius instituti bonum atque incrementum hæc quæ infrascripta sunt decernimus. Et primo ut cunctis pateat quæ sit Nostra erga memoratam unionem voluntas, in singulare paternæ Nostræ dilectionis testimonium ejusdem Instituti patrocinium Nos ipsi assumimus Nobisque reservamus. Præterea, quo Sacerdotes in Apostolicam Unionem adlecti opportuno spiritualium gratiarum præsidio firmentur, atque eadem singularia indulgentiarum munera moveant alios ut sibi rei que sacræ efficacius prospecturi, saluberrimæ huic consociationi dent nomen, de Omnipotentis Dei misericordia ac B. B. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Apostolica Nostra auctoritate, præsentium vi, perpetuumque in modum, omnibus ac singulis sacerdotibus ubique terrarum degentibus qui nunc et in posterum sese huic Apostolicæ Unioni, emissa rite prius professionis formula, mancipaverint, donec in ea perseverent, si quotannis Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschalis Resurrectionis, Ascensionis, SSmi Corporis Domini Nostri Jesu Christi, item Conceptionis, Nativitatis, Annun-

ciationis, Purificationis et Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ festivitatis, nec non quolibet festo die Sanctorum duodecim Apostolorum, admissorum confessione prius expiati vel Missam celebrent vel ad Sacram Synaxim accedant, simulque quamlibet Ecclesiam sive publicum sacellum visitent et ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo præfatorum die id agant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis nunc et in posterum eadem in Unionem adlectis Sacerdotibus quoties menstruam vitæ rationis notam ad respectivum Superiorem Diœcesanum iuxta instituti tabulas mittant, et contrito saltem corde semel ad Romani Pontificis mentem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam et Trisagium recitent; vel pariter contrito corde menstruo communi recessu intersint, in forma ecclesiæ consueta de numero pœnalarum dierum centum expungimus. Item concedimus ut partiali hac indulgentia fruantur etiam presbyteri, qui licet Apostolicæ Unioni non sint inscripti, menstruum tamen recessum una cum sociis celebrent; tandem largimur ut si malint singulis ac universis liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vitam

functorum labes pœnasque expiare. Facultatem quoque præsentibus ac futuris Apostolicæ Unionis Sodalibus, auctoritate Nostra facimus peragendi gravibus de causis Missæ sacrificium vel una ante auroram hora: iisdemque Apostolicum Missarium privilegium ita tribuimus ut quandocumque quisque e præfatis sociis Missam pro anima cuiuscumque Christifidelis quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ad quodvis cuiusque Ecclesiæ altare rite celebraverit, idem Sacrum ter dumtaxat qualibet hebdomada animæ pro qua celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum. Tandem Sodalibus ipsis Apostolicæ Unionis nunc et in posterum ubique terrarum existentibus facultatem per præsentes largimur ex qua extra urbem de consensu Ordinarii loci in quo hanc exercuerint facultatem, cruces, crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias, et parvas Domini Nostri Jesu Christi, B. Mariæ Virginis Immaculatæ et omnium Sanctorum metallicas statuas cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum quæ in elencho, edito typis S. Congregationis de Propaganda fide die XXVIII Augusti mensis, anno MCMIII, numerantur, et quoad coronas precatorias non excepta indulgentiarum applicatione S. Brigittæ nuncupatarum, in forma ecclesiæ consueta, tempore missionum,

et spiritualium exercitiorum publice, aliis vero temporibus privatim benedicere possint: itemque sodalibus dictis servatis servandis facultatem facimus cuius vi dummodo sint ad sacras conciones habendas approbati, novissimo die sacram concionum quadragesimae, adventus missionum et spiritualium exercitiorum christiano populo cum Crucifixo ac sub unico signo Crucis, iuxta ritum formulamque praescriptam, cum plenaria addita indulgentia ita benedicere queant ut fideles ex utroque sexu qui saltem ultra medietatem dierum quibus eadem conciones respective perduraverint interfuerint, et vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti ecclesiam seu sacellum in quo respective conciones habitæ fuerint eodem die devote visitent ibique pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, Principum Christianorum unione, peccatorum conversione ac haeresum extirpatione oraverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem lucrari valeant. Non obstantibus Nostra ac Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque: Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ

præmunitis, eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, XXVIII Decembris MCMIII.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

ALOIS. Card. MACCHI.



Errata.

Seite 5 Zeile 4 von oben: familiam statt familian.

Seite 17 Nr. 33 Zeile 6: conformes statt conforme.

Seite 58 Zeile 2 von unten: Potestas statt Potesta.

INDEX RERUM

REGULÆ GENERALIS UNIONIS APOSTOLICÆ.

PARS PRIMA.

NOTIONES DE „UNIONE APOSTOLICA“.

	Pagina.
Caput I: Definitio Unionis Apostolicæ	1
– II: Unionis Apostolicæ Origo	2
– III: Unionis Apostolicæ scopus	3
– IV: Approbationes Unioni Apostolicæ datæ .	5
– V: Regulæ Unionis Apostolicæ Divisiones .	7

PARS SEGUNDA.

REGULA.

Caput I: Spiritus Unionis Apostolicæ	9
Art. 1: De eligenda præcipua devotione membris Unionis Apostolicæ	9
Art. 2: De Cognitione Jesu Christi.	
I Ex Sacra Scriptura	12

	Pagina.
II Ex SS. Patribus et asceticis auctoribus	12
III Ex Theologia	13
IV Ex Liturgia	13
V Ex historia	14
VI Ex humanis scientiis	14
Art. 3: De Amore Jesu Christi.	
I Amor complacentiæ	15
II Amor gratitudinis	15
III Amor Unionis	16
IV Amor in Ecclesiam Christi sponsam	17
Art. 4: De Imitatione Jesu.	
I De Imitatione Christi	18
II Imitatio in obedientia	19
III Imitatio in creaturarum contemptu	20
IV Imitatio in paupertate	21
V Imitatio in sacrificio	22
VI Imitatio in caritate	24
VII Imitatio in modestia externa	26
Caput II: Regulæ vitæ sacerdotum Unionis Aposto- licæ	26
Art. 1: Regulæ et principia spectantia vitam pri- vatam.	
I Principium generale	27
II Singulis diebus	27
III Singulis hebdomadis	32
IV Singulis mensibus	32
V Singulis annis	34
VI De aliquibus rebus in specie	34

Art. 2: Regulæ et principia spectantia diversa
ministeria quibus exercendis membra Uni-
onis occupari contingit.

I Natura ministeriorum	38
II De prædicatione	38
III De catechismo	39
IV Sacramentum Pœnitentiæ	40
V De ægrotis, pauperibus, afflictis	41
VI Associationes piæ et confraternitates inter fideles	42
VII De secessibus et missionibus	44
VIII De magnis catholicis operibus	45
IX Monita specialia ad parochos et vicarios directa	46

Caput III: De modo gubernandi in Unione Apostolica 47

Art. 1: Modus gubernandi in Unione diœcesana 48

Art. 2: De vinculo caritatis Unionis Apostolicæ
generalis.

I Natura hujus vinculi	49
II Organizatio generalis inde resultans . .	49
III Commoda spiritualia ab Unione derivantia	53
IV De aggregatione ad Unionem	54
<i>Promissio stabilitatis</i>	55

PARS TERTIA.
FAVORES SPIRITUALES.

	Pagina.
Indulgentiæ plenariæ	56
Indulgentiæ partiales	56
Privilegia	57
Facultates	58
<i>Oratio quotidie dicenda</i>	59

PARS QUARTA.


Litteræ Apostolicæ Leonis PP. XIII	60
Litteræ Apostolicæ Pii PP. X	63



Nissae.
Ex Typographia F. Baer.
1915.

Wojewódzka Biblioteka
Publiczna w Opolu

7344 \$



001-007344-00-0

